Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058181687-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058181687-19

7/25.
1726, 4 b

DISSERTATIO IVRIDICA,

DE

# IVRE IMPERANTIVM IN RVSTICOS REFRACTARIOS, HOMAGIVM IN PRIMIS DENEGANTES,

QVAM

IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBVRGENSI,

PRAESIDE

DN. IOANNE WILHELMO WALDSCHMIDT,

ACADEMIAE PROCANCELLARIO ET ANTECESSORE,

REGIMINIS PRINCIPALIS CONSILIARIO,

AD DIEM XXXI. AVGVSTI MDCCXXVI.

PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE SVBMITTET

RESPONSVRVS AVTOR

GEORG. STOCKAR. DE NEVFORN,

SCHAPHVSA - HELVETIVS.

PRIMVM MARBVRGI CATTORVM EXCVSA,

NVNC VERO, VT DESIDERIIS MVLTORVM SATISFIERET,

ET QVIA EXEMPLARIA VENALIA AMPLIVS NON EXSTANT,

IENAE,

REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1750.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-192015415-058181687-19

*I. N. D. N. I. C.*

Frequens in Civili Diſciplina, & vulgo nota eſt *Civitatis* cum *Homine* comparatio, eademque ad delineandam ſtructuram & compagem Civitatum ſatis appoſita. Ut ad ſpecialia iſtius collationis exempla, *Platoni* & *Ariſtoteli* jam memorata, heic non divertam, ſociata Juris fruendi cauſa hominum multitudo velut perſona moralis, corpori organico, formalis vero cœtus civilis diſpoſitio & ordo, in imperando parendoque conſiſtens, animæ rationali haud abſimilis eſt. Summum, inquam, in Civitate Imperium,

vinculum illud eſt, per quod Reſpublica cohæret, ſpiritus ille vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens iſta ſubtraheretur. Sicut etiam in corpore humano varii artus & membra, certo ordine locata, quæ ſingula ad imperium rationis ſuo munere funguntur, &, quamvis unius præſtantior opera, alterius vilior ſit, univerſa tamen, neceſſitudine tam arcta conjuncta ſunt, ut neutrum ſine totius incommodo deeſſe poſſit. Ita conſimilis prorſus eſt Civitatis ſtructura: mancum non minus & mutilum hoc Civile corpus, ſi parentium regnantiumque ordo turbetur aut pervertatur. *Diſſediſſe aliquando cum ventre membra reliqua, ipſique ulteriorem mutuæ operæ præſtationem denegaſſe, ſed infelici hoc ſucceſſu, ut moribundi demum ſenſerint, illius opera, redactis in ſangvinem cibis, ſemet irrigari*; fabula eſt, (qua tumultuantem plebem Rom. *Menenius*, aut ſi mavis, *Valerius Agrippa*, feliciter olim reduxit,) appoſite declarans, quod ſi indiſſolubilis ille inter Imperantes parentesque nexus, aut ſolvatur penitus, aut violetur, morbidum non ſolum fieri totum Civile corpus, ſed & in Anarchiam ac Cyclopum vitam, *qua nullus nulli in nullo paret*, tandem delabi.

§. II.

§. II. Quam arctum vero illud vinculum, quo omnes in parendi conditione poſiti, Reipubl. obſtringuntur, quam ſanctum inter homines Imperium eſt, quippe quod Dei vice ac nomine in his terris, velut à Delegatis exercetur: non defuerunt tamen omni tempore, ordinum omnium homines, quibus in ſeditionibus quies, in pace turbæ eſſent, quique adeo veſano ſpiritu abrepti, nihil eorum intermiſerunt, quo cardines Reip. everterent, ipſaque Societatis Civilis ſtamina abrumperent. Eodem furore & Ruſticorum ordinem, addictiori plerumque (*a*) ſubjectionis nexu, Reip. adſtrictum, ſubinde correptum fuiſſe, ac hodienum corripi, monumenta Hiſtorica, mille teſtes, pluribus confirmant; & *Facti Species*, infra memorata, noviſſimum fere exemplum ſuppeditat, cujus



(*a*) Inſolens enim & rarum omnino eſt, quod B. HERTIVS *de ſubject. territ.* §. 4. ex *Felicis Malleoli* (Scriptoris ſeculi XV.) *Dialogo de Nobil. & Ruſtic. c.* 14. memorat: *Ruſticos plures eſſe liberos* (à ſervitiis,) *in Diœceſi Conſtantienſi & Auguſtenſi, & præſertim in Diœceſi Baſileenſi, in quodam territorio, dicto Frigenberg, notabiliter eſſe conſtitutos, qui exquiſita cavere ſoleant diligentia, ne per conjugia mulierum non liberarum, libertatis privilegia perdant ſucceſſores.* Singularia etiam ſunt, quæ de Archi-Ep. Bremenſis, Marslandi ad Albim & Viſurgim, ac Friſiæ Orientalis plebe ruſtica, HERTIVS ibidem addit.

cujus *Facti*, & moleſtiarum, quas Patria hactenus inde ſenſit, recordatio, effecit, ut thema in Lemmate præſcriptum, pro argumento Academicæ Diſſertationis mihi ſelegerim. In illius evolutione ita verſabor, ut ea, quæ è latifundiis JCtorum huc conduxero, ad uſus Patriæ, cui ſtudia mea qualiacunque unice dicata, transferre allaborem, memor veteris illius: *unicuique maxima cura id agendum eſſe, ut, quicquid egerit, id ratum Civitas ſua aliquando habeat.* Annuat propoſito DEVS T. O. M. faveatque Lector!

§. III. De *Ruſticis refractariis* diſſerturus, eosdem ſub qualitate Hominum Propriorum, qua plurimi ipſorum in diverſis Germaniæ partibus, ac vicinis Regionibus, velut propago priſtinæ ſervitutis, hodienum affecti, heic non conſidero; neque adeo argumentum illud perſequi mihi animus, quod MEVIVS, peculiari Tractatu: Vom Zuſtand, Abforderung, und verwiederter Folge der Bauers-Leute, zu welchen jemand Zuſpruch zu haben vermeynt, plena manu executus eſt. Quin potius Ruricolas qua tales (*b*), in pagos

(*b*) Ruſticos omnino omnes in Germania & vicinis Regionibus, ſervilis olim conditionis fuiſſe, variis ex cauſis & perſvaſionibus erroneis certatim dein manu-

gos villasque collectos, agriculturam operasque ruſticas exercentes (*c*), heic intelligo. Et quando de Ruſticis, erga *Imperantes ſuos* refractariis agere me velle profeſſus ſum, hoc ipſo indigitare volui, me non de quibuslibet agreſtium deliquiis & levioribus peccatis, ob quæ quotidie fere in Judiciis Cenſoriis, den Rüge-Gerichten, conveniuntur, & à Magiſtratibus ordinariis, iisdem præſtitutis, mulctantur, ſed de gravioribus, ad ſeditionem vergentibus ipſorum delictis, & motibus violentis, adverſus Eos, penes quos τὸ κύριον in qualibet Republica, excitatis, qualibus libertas, aliaque ſpecioſa nomina utplurimum prætexuntur, actu-

miſſos, imaginem tamen priſtinæ ſervitutis in eo adhuc retinuiſſe, quod Dominis ſuis ad indeterminata ſervitia utplurimum teneantur, pluribus deductum à Dn. Præſide in *Diſſ. de Hominibus Propriis Haſſiacis cap. 3. & paſſim.* Ad quam ipſorum conditionem forte reſpexit *Eberhardus* A WEIHE in *veriſimil. cap. 4. n. 16. 17.* ſcribens: *ruſticorum non meliorem hodie in Germania, fortaſſis etiam deteriorem, quam olim mancipiorum ſortem eſſe.* Add. MEINDERS de *Jurisdict. Colonar. p. 15. 16. & paſſim.*

(*c*) Varias Ruſticorum diviſiones, una cum definitione, exhibet *Felix* MALLEOLVS *d. l. cap. 32.* & magis appoſitas RHETIVS *ad Jus Feud. pag. 24.* utrasque B. Dn. DE COCCEII *Diſſ. de eo, quod juſtum eſt circa ruſticos in materia feudali cap. 1. §. 3.*

ſturum eſſe. Denique inter graviſſima detrectati obſequii exempla, denegatam *Homagii* præſtationem, ubi retuli; haud neceſſarium duco, quid & quotuplex illud, multis heic præfari: ſufficere mihi poterit, ſicut hoc jusjurandum obſequii, **die Landes-Huldigung**, ſanctiſſimum Subjectionis Territorialis firmamentum eſt, ita eos, qui præſtationem illius, ad quam tenentur, denegant, non poſſe non videri à ſubjectionis lege, temerario auſu, ſe eximere velle, ideoque tanto acrioribus remediis jure merito coërcendos eſſe.

§. IV. Jam ad thema præſcriptum propius ubi accedo, complura primo intuitu obſtare videntur, quo minus in Ruſticos aliqua ſeditionis aut motus, animo renitente excitati, cadere poſſit præſumtio. Sicuti enim, ipſi non minus, ac reliqui ſubditi, Civilis ſocietatis membra ſunt, ita æquali etiam jure cum iisdem jure merito gaudent, niſi quatenus Jure ſcripto, aut non ſcripto aliud conſtitutum (*d*). Non inducenda etiam inæqualitas,

(*d*) Pertinet eo JANI VINCENT. GRAVINÆ, *JCti Romani*, Axioma aureum, quod *Le Journal Literaire du Mai & Juin ann. 1713. p. 102. & 103.* pluribus commendat: *res eſt ſacroſancta libertas & Divini Juris, quippe humanæ adeo implicata naturæ, ut eam tentare ſcelus ſit, impium circum-*

litas, aut prægravatio; quæ Legibus & pactis adverſa, unius in Civili cœtu viventis Ordinis præ aliis; ſi contra fiat, juſtiſſimæ ſunt oppreſſorum querelæ. In ipſis quoque Legibus *innocens & quieta ruſticitas* audit, *l. 3. C. de Defenſor. Civitat.* Tantum etiam abeſt, Jura eosdem odio proſequi, ut potius propter favorem agriculturæ, & onera graviora iisdem incumbentia, ſingularem ſecuritatem adverſus omnem violationem ipſis conceſſerint, *Authent. agricultores C. quæ res pignori.* qua & inter media diffidationum & bellorum civilium pericula, quæ Germaniam quondam infeſtabant, primi omnium muniti fuere. Vid. DATT. de P. P. *lib. I. cap. 16. num. 49. 73. ſeq.* Præterea inſignibus privilegiis, in Jure expreſſis, ornati ſunt, quas peculiari Tract. expoſuit RENAT. CHOPPINUS. E quibus omnibus inferendum videtur, non æqualem ſolum, ſed validiorem integritatis præſumtionem pro Ruſticis militare, quam pro civibus reliquis, præſertim cum dura, (*e*) ſimplex & frugalis



*venire, occupare nefarium.* Add. KNIPSCHILD. *de Civit. Imp. lib. I. cap. 9. num. 10. 11.*

(*e*) Miſeram illorum conditionem JOH. BOHEM. *Lib. 3. de morib. Gent. cap. 12.* ita deſcribit: *eorum, qui in rure pagatim villatimque habitant, quique illud colunt & propter hoc ruſtici vel rurales appellantur, ſi credere velint, ſa-*

vitæ ratio, à fraudibus & dolis eosdem alieniores reddat: nam juxta CICERONIS illud, *in Orat. pro Roſc: in ruſticis moribus, in victu arido, in horrida incultaque vita, maleficia non facile ſolent gigni*; imo ſi CATONEM *de re Ruſt.* audimus: *minime mala cogitant, qui in agriculturæ ſtudio occupati ſunt.* Add. *les Avantures de* TELEMAQVE *p. 105. 216. 234.* Eandem quoque integritatis præſumtionem pro ruſticis militare diceres, ſive cum paribus, ſive cum ſuperioribus ipſis res ſit, *quæ enim cupiditates* (ut rurſus CICERO d. l.) *poſſunt eſſe in iis, qui ruri ſemper habitarunt, & in agro colendo vixerunt, qualis vita maxime disjuncta à cupiditate, & cum officio conjuncta.* Indeque eſt, quod ruſtici ſecundum ſimplicitatem & puritatem natu-

*tis miſera & dura conditio eſt: ſeorſim ab aliis quisque cum familia & pecore ſuo humiliter vivit. Caſæ luto lignoque è terra paululum eductæ & ſtramine contectæ, domus. Panis cibarius, puls avenacea aut decoctum legumen cibus. Aqua ſerumve potus, toga linea, perones duo, & pileus fucatus, veſtitus. - - Dominis crebro per annum ſerviunt, rus colunt, & ſemine conſpergunt, fructus metunt & horreis important, ligna ſecant, domos ædificant, foſſas effodiunt. Nihil eſt, quod ſervilis & miſera gens ipſis debere non dicatur. Delinquens graviter mulctatur. Sed nihil eſt genti durius, quam quod prædiorum, quæ poſſidet, major pars, non ſua ſit, ſed illorum, à quibus certa frugum parte quotannis retinere debet.*

naturalem vivere credantur, MENOCH. *de præſumt. lib. 5. præſ. 4. num. 5.*

§. V. Aſt enimvero, ſi vel maxime hæc talia quoad Ruſticos olim ita ſe habuerint, vix aliter tamen eſſe poterit, quin iidem in terris Europæ, mores dudum mutaverint, & à priſca ſimplicitate receſſerint, ætasque parentum pejor avis fuerit, ac vitioſiorem progeniem revera dederit. Præterquam enim quod Gratian. *can. 1. Diſſ. 46.* rotunde affirmat: *ruſticorum arrogantia nihil petulantius eſſe.* Acerbius adhuc in eosdem invehitur DONATVS *ad Ælium Lamprid.* quando ait: *Ruſtici animalia ſunt media inter bruta & homines, plus rationis expertes, quam capaces, quod norunt illi, qui malo ſuo genio acti, cum iisdem converſari coguntur.* Quodſi etiam de Moribus hodiernis quæras, WEHNERVS *in Obſervat. Pract. verb.* Ding-Notul, longa JCtorum caterva ſtipatus, obſervavit: *Effrene genus ruſticorum ad petulantiam facile excitari, nec tam ſimplex & quietum, ut olim; quin potius, ut olim ſervos, ita hodie fere ruſticos verſutos, & ultimos prioribus pejores eſſe.* Addit KLOCK. *de Contribut. cap. 2. num. 59. generaliter ruſticos hodie aſtutos, ſagaces, petulantes exiſtimari, nec eſſe malitiam ſuper malitiam ruſticorum.*

*rum.* Et KNIPSCHILD. *de Civitatibus Imperial. lib. 1. cap. 10. num. 3.* ait: *videmus agreſtes ruri in pagis ac villis degentes, moribus, vita, ſermone incultos eſſe, rudes, ineptos, ſtolidos, duros, inhumanos, truces, inſvaves, aſperos, immanes, feros & pene barbaros, nullamque honeſtatis, ſed utilitatis potius rationem habentes, & modis omnibus disſidentes à moribus.* Add. SPEIDELIVS *verb.* Bauer. KLOCK. *relat. 14. num. 50.* PACIAN. *Conſil. 20.* BVRGOLDENSIS *ad Inſtrum. Pacis part. 2. Diſc. 23. num. 5. ibique alleg.*

§. VI. De cauſis pravæ hujus diſpoſitionis ſi quæras, præter communem, quæ omnibus mortalium pectoribus inſidet, labem, mala educatio primum locum merebitur, quantopere enim illa bona animi, quæ ſuperſunt, vitientur, divinus PLATO *de LL. lib. 6.* probe obſervavit: *Homo,* ait, *ſi cum natura felici, rectam quoque diſciplinam fuerit aſſecutus, in divinisſimum manſvetisſimumque animal ſolet evadere: ſi vero non ſatis, aut non bene fuerit educatus, ferocisſimum omnium, quæ in terris naſcuntur, evadere ſolet animal.* Quæ vero apud ruricolas liberorum educatio? quis de emendatione voluntatis, de affectibus ipſorum compeſcendis inter illos ſollicitus, qui primis creden-

dendorum rudimentis liberos ſuos imbui, vix ac ne vix quidem cogitant? Accedunt confirmata ætate, eædem cauſæ & flabella, quæ ſeditionibus alias fomitem & fomentum præbent. Videbis inter exempla motuum à ruſticis excitatorum, non miſeriis, ſed licentia, tantum concitum turbarum, & laſciviſſe magis plebem quam ſæviiſſe. Rurſus inopia & rebus anguſtis nonnullos commotos animadvertes: ſemper enim in Civitate, quibus opes nullæ ſunt bonis invident, vetera odere, nova expetunt, odio ſuarum rerum mutare omnia ſtudentes. Nec minus Æolos inter ipſos deprehendes, penes quos, ceu auctores, omnis furoris origo, reliquis contagione inſanientibus. Non deerunt quoque obærati, quibus, re familiari perdita, afflicta fides in pace, rebus turbatis alacres, & per incerta tutiſſimi. Quæ & aliæ iſtiusmodi motuum cauſæ, in Hiſtoriis paſſim obviae, ſicut alios quoque ſubditos non raro in transvorſum agunt, ita Ruſticos tanto facilius ſeducunt, propere ſequi, quae piget inchoare.

§. VII. Iſta vero temeritatis, arrogantiae, ac turbulenti animi nota, ob quam Ruſtici, ut vidimus, apud JCtos male audiunt, eo quidem haud pertinet, ac ſi in qualibet lite, iisdem cum aliis pri-

vatis & ſubditis intercedente, praeſumtio iniquitatis obſtet, aut plane onus probandi, in eosdem devolvat. Illud tamen haud dubie operatur, ut, quoties cum Magiſtratibus ſuis, & inferioribus, & ſuperioribus contendunt, in dubio, potiorem eſſe Magiſtratus cauſam, omnino credendum ſit. Sicut etiam Magiſtratus, DEI in his terris Vicarius, & quicquid ab eodem præcipitur, Dei mandatum exiſtimandum, quamdiu juſſibus Divinis non refragatur, indeque nexus Legum Civilium in conſcientia deſcendit; ita ex eodem arctiſſimo obſequii vinculo, quo ſubditi obſtringuntur, & illud reſultat, quod ſemper de quolibet Magiſtratu, cumprimis vero de Principibus, aliisque Imperantibus bene præſumendum ſit, vid. MEVIVS *part. 1. Deciſ. 141. num. 4.* MENOCH. *lib. 2. præſumt. 10.* Eamque præſumtionem pro Magiſtratibus ſtare, ſive in Publicæ, ſive in Judiciariæ, aut exequendæ Poteſtatis exercitio verſentur, (juſtis limitationibus ſimul additis) pluribus deduxit B. STRYCKIVS *Diſſertat. de Præſumt. pro Magiſtratu.* Tanto magis ergo pro Imperantibus ipſis, contra Ruſticos, ſubditorum inquietiſſimos, eadem præſumtio militabit.

§. VIII. Quodſi enim præſumtiones, velut conje-

conjecturæ probabiles, in iis ſe fundant, quæ utplurimum locum habere, & in vita communi contingere ſolent, & ex illorum frequentia, majorem probabilitatem animo ingenerant, illa, quam diximus, præſumtio, in cauſa Imperantium Ruſticos onerans, exemplis motuum ab iisdem excitatorum, non poteſt non urgentiſſima evadere. Ut enim de bellis civilibus, rebellionibus, ſeditionibus, ac tumultibus in aliis Europæ Regnis unquam excitatis heic non dicam (*f*) ſufficere poterunt ſeditiones & motus ab iisdem vel in ſola Germania inde ab anno 1491. excitati; inprimis autem famoſum & ferale illud Ruſticorum bellum, quod ſub finem anni 1524. in Svevia primum exarſit, cujusque flammæ univerſam fere Germaniam mox corripuerunt, & quamvis æſtate ſequentis anni deflagraſſe videretur, attamen *Thomæ Münzeri* aliorumque fanaticorum inſaniis, ut antea ſuſtentatum, ita dein renovatum fuit. Illius originem, qua feritate plus quam barbara à truculentis rebellibus geſtum, quam funeſtus exitus, heic ut enarrem, nec fori, nec inſtituti mei ratio patitur; præſertim

(*f*) Qualia ZWINGERVS *Theatr. vitæ hum. vol. 3. lib. 8 pag. 921.* & *Laurent.* BAYERLING. *Magni Theatr. Tom. 6. pag. 274.* percenſere inſtituerunt.

ſertim cum B. Dn. WEBER. *in Diſſertatione*, RVSTICVS SEDITIOSVS inſcripta, & *anno 1707. Gieſæ* publicata, è Scriptoribus coaevis, id jam praeſtiterit (*g*). Praetermittere tamen non poſſum, quodſi de cauſis tanti furoris curatius diſpicere velimus, facile liquere, aſperum monitoribus hominum genus, ut imperium everteret, libertatem praetendiſſe, ſi illud pervertiſſet, hanc aggresſurum fuiſſe. Obtendebat, inquam, perditiſſima & infima populi fæx, & à Clero Romano & ab ipſis Regionum Dominis, indignis ac verbo Divino adverſis exactionibus ſemet vexari; ac prout fieri ſolet, ut, quod pauci audent, multi volunt,

(*g*) In eadem Diſſertatione, inter noviora exempla memorantur molimina Ruſticorum anno 1633. in Suntgavia & Brisgovia, adverſus militiam Svecam tentata, de quibus PVFENDORF. *Rer. Svecic. lib. 55. §. 22.* Rebellio in Bavaria anno 1705. mota: Tumultus à Ruſticis im Buſecker Thal / in Principatu Haſſo-Darmſtadino, occaſióne notiſſimæ controverſiæ (anno ſuperiori Sententia *Judicii Cæſarei Aulici* ſopitæ, vid. Dn. Præſid. *Diſſert. de Pactis Ganerbinat. §. 14.*) temere excitati: Turbæ à ruſticis contra ſtimulum calcitrantibus, in Præfectura *Hoingen*, Comitatus Solmenſis-Braunfelſici, cauſatæ, de quibus profeſſa opera egit B. Dn. GROLLMANN. *Tract. de mutat. Operar.* His omnibus plura alia exempla, pro ſpicilegio addere poſſem, ſi mei inſtituti eſſet.

ſunt, omnes patiantur, ita quoque cives, aliique honoratioris conditionis ſubditi rerum novarum cupidine & odio praeſentium laborantes, iisdem mox acceſſerunt. Aſt enim vero, utcunque Cleri rapacitas, exactione decimarum aliarumque praeſtationum exercita & impotenter quaeſita dominatio, negari haud poſſit: utcunque etiam, ab hoc vel illo Regionis Domino, in tanta imperantium per Germaniam multitudine, durius forte habiti fuerint: inde tamen univerſis nullum jus ſubnatum, furore arma ſubminiſtrante, adverſus Magiſtratum à DEO ſibi praeſtitutum inſurgendi, ac ſupera inferis miſcendi, præſertim, cum Regionum Domini ſe de querimoniis ipſorum cognoſcere, &, quod iniquum, emendare velle, ſponte edixerint. Quodſi etiam *duodecim* (vel, ut Francohuſæ publicati, *tredecim*) illos *articulos*, quos Ruſtici, pro levamine poſtularunt, quosque B. LUTHERUS *Tom. 3. edit. Altenburg. fol. 114. ſeq.* SLEIDANUS *de Statu Relig. & Reip. ſub Carolo V. ad ann. 1525.* P. GNODALIUS *in Hiſtor. ſedit. Ruſticor. apud Schardium tom. 2.* S. R. G. & ex iis prælaudatus WEBER. exhibent, (*b*) ſolummodo in-



(*b*) *Eorum autorem, Chriſtophorum Schappelerum, St. Gallenſem, Paſtorem Memmingenſem fuiſſe, nonnullos cre-*

ſpiciamus, nemo non videt, id ſimul egiſſe turbidum & agreſte hominum genus, ut veſano auſu Jura Majeſtatica, tantum non omnia, in Sacris & Civilibus ſibi arrogaret, eoque in Anarchiam res Germana prolaberetur. (*i*)

§. IX.

*dere, ſed quibus Viri integritas vitæ, aſſidua Sacrarum literarum meditatio, zelus & vehementia in vitiis hominum reprehendendis cognita, eosdem, falſo hæc ei imputata exiſtimare: iſtosque articulos à Thoma Münzero potius, ruſticis, per emiſſarios ſuggeſtos* eſſe, ſcribit GNODALIVS *d. l.* & ex eo repetit SECKENDORF. *Hiſt. Lutheran. lib. 2. Sect. 3. §. 5. num. 6.* addens, *de Schappelero* idem apud SLEIDANVM *in margine notatum* reperiri. Verum *Dn. Joh. Jac.* HOTTINGER. in der Helvetiſchen Kirchen-Geſchichte 3tem Theil *pag. 255.* annotavit: Carion ſchreibe/ die Articul ſeyen den Bauren durch D. Chriſtian Schappeler geſtellet worden/ deſſen habe ſich aber ſelbiger beſchweret/ und den Carion, wann er noch im Leben geweſen/ als er ſolches erfahren/ berechtigen wollen: addit in notis ex ἀνεκδοτις H. E. HOTTING. *Pantaleonem idem ſtigma Schappelero inuſiſſe, à Bullingero reprehenſum*, indeque *accuſationem fruſtra repetiiſſe Seckendorfium.* Quod ſi *Jacobi* STRAVSII libellum, Iſenaci jam antea publicatum, vom zeitlichen Guth und Zinſen/ evolvas; in eodem pleraque iſtorum articulorum ἄσοφα invenies, unde, quod libellus ipſe, gar aufrühriſche Schluß-Reden contineat, haud temere ZWINGLIVS alicubi judicavit.

(*i*) Vanitatem calumniarum, quibus hæ turbæ Sacrorum Reformationi adſcriptæ, peculiari libro o-

§. IX. Non attigit B. WEBERVS, ab inſtituto ſuo alienam, ſeditionem, quam in *Patria* mea anno 1653. Ruſtici excitarunt, quamque *Theatrum Europæum Tom. VII. inde à pag. 387.* pluribus memorat, ſuperiori illa, perfidia & atrocitate rebellium, non inferiorem, quæque cardines totius majoris *Reipublicæ* HELVETICAE, niſi in tempore obviam itum, haut dubie evertiſſet. Initium factum à Ruſticis *Lucernenſibus* im Entlibuch, minima quæ ſubditi patiuntur, in immenſum extollentibus, ac duritiem imperii, vulgata cantilena obtendentibus. Prout etiam fieri ſolet, ut plures ſine mora ſequantur, ubi unus ſaltem ſeductor, & prima vox, quod difficillimum eſt, præceſſit: ita quoque *Lucernenſes* hi, in easdem tenebras ac devia cœca, complures *Bernenſes*, *Baſileenſes*, ac *Solothurnenſes* Ruſticos, rerum novarum cupidine, & odio præſentium laborantes, quosve dulcedo prædarum, & ambiguæ domi res ſtimulabant, ut privata vulnera geſtirent Reipublicæ malis operire, mox pertraxerunt, eorumque numerus ad viginti, ut ferebatur, millia, jam excreverat. Nec



ſtendit ZWINGLIVS *Oper. tom. 2. p. 123.* add. HOTTINGER. *d. l. p. 236.* B. LVTHERI, eadem temeritate eo nomine incuſati, cauſam egit SECKENDORFIVS *d. l.*

deerant ſceleſtæ conſenſionis globo ſeditionis faces, è quibus præcipui, *Nicolaus Leuenberg de Schönholz*, *Bernas*, ipſorum Dux, & Chriſt Schybj von Eſchlismat, aus dem Entlibuch, Capitaneus. Cumque jam omnia conclamata viderentur, Ruſticis ſucceſſibus proſperis elatis, & contra fidem datam, ſumma truculentia per maximam Helvetiæ partem graſſantibus, ipſasque Urbes BERNAM ac LUCERNAM infeſtantibus, primum *Illuſtris Reſpublica* TIGURINA, præcipui capitis omnium PatriæFœderum, περὶ συμμαχίας, ſeu de mutuo auxilio contra omnem vim injuſtam, nunquam immemor, ut antea conſilio, ita nunc auxilio afflictis adfuit, acceſſerunt mox & reliquæ, propiori fœderis lege pariter obſtrictæ. Ab hoc Fœderatorum Exercitu, Duce *Joh. Conrado* WERTMüLLER. *Senatore ac Quæſtore Reip. Tigurinæ* virtutibus ac meritis in Patriam incluto, & poſt fata adhuc ſuperſtite) incondita Rebellium turba, paucorum menſium ſpatio, in eas anguſtias redacta fuit, ut arma ſubmiſerit pacisque conditiones acceptaverit. In ipſos vero ſeditionis authores ſupplicio capitali, aliisque pœnis ſevere animadverſum fuit, ne admittendo exemplum, commune aliquando crimen fieret.

§. X.

§. X. Ex hactenus dictis jam tum conſtat, motus à Ruſticis excitatos non unius generis eſſe: ſunt, inquam, ruricolæ, vel in cauſis levioribus, v. gr. ubi inter partes Jus dicitur, tantum inobedientes; (de quibus hic non attinet dicere) vel plane refractarii in cauſis publicum ſtatum directo reſpicientibus, v. gr. denegatione operarum, ac ſervitiorum: vel ipſam Summam Poteſtatem gravius offendunt, obſequium, Ordinationibus, Legibusve denegantes, Homagium vel plane non, vel tunc demum præſtare volentes, poſtquam incivilibus ipſorum clamoribus à Rectore Civitatis ſatisfactum, eaque, quibus ſe gravatos obtendunt, ſublata, & antigrapho dato jactitata libertas confirmata ſit.

§. XI. Nimirum ad conglutinandos eorum animos, qui in Societatem Civilem coëunt, plurimum facere, ſiquidem illi, quibus obſequii gloria relicta, Rectoribus Civitatum, jurejurando ſemet obſtringant, dudum olim creditum. Vid. HERT. *de Subject. territor.* §. 13. Sacramentum hoc Homagium vocari, ſupra jam indigitavi, & quamvis ex eo, quod quis Homagium præſtiterit, eum Territoriali Poteſtati ſubjectum eſſe, valide inferatur, HERT. *d. l.* WERNHER. *part. 4. Obſ.*

*For.* 2. Vice tamen verſa ex eo, quod quis Homagium præſtare haud ſolitus fuerit, concludi nequit, eundem ſubjectione Territoriali affectum non eſſe, SCHWEDER. *Inſtit. Jur. publ. part. ſpec. Sect.* 2. *cap.* 11. §. 1. HERT. *d. l.* §. 14. ubi de diviſione Homagii in perſonale & reale. add. §. 18. ubi ex SCHRADERO *Conſil.* 21. *num.* 182. docet, antiquam illius formulam ſervari, omnino par eſſe.

§. XII. Viciſſim in multis Civitatibus, inde ab antiquiſſimis temporibus receptum, ut illi, quibus rerum ſummam Divinum Numen largitum eſt, ſubditis, vel cum, vel ſine Juramento nonnulla promittant, vid. KNIPSCHILD. *de Civitat. Imper. Lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 12. & 14. Non poſſumus inde quæſtionem illam, quam KNIPSCHILD. *d. l.* & KLOCK. *Relat.* 25. *num.* 127. movent, ſilentio praeterire, eamque ad Ruſticos inflexam, ita formare lubet. Quaeritur, inquam, an illis in locis, ubi moris eſt, ut Magiſtratus, ea, quae ſuarum partium, jurejurando confirmet, Magiſtratus prius, an vero Ruſtici Homagium praeſtare debeant? nec minus, an Ruſtici Homagii praeſtationem, ſub hoc obtentu differentes, quod nonnulla contra fidem datam innovata ſint, eo no-

mine

mine audiendi, ita ut praetenſis gravaminibus expeditis, Homagium ab iisdem demum exigi debeat? Pro illius reſolutione, duo ſeorſim conſideranda, (1) quid ſecundum regulas Prudentiæ Rectoribus Civitatum conſultum, (2) an modus ille, emendationem gravaminum exigendi, Supremæ Legi Civili, quæ Salus Reip. usquequaque, conveniat. Primum quod attinet, ſiquidem gravamina à Ruſticis allegata, evidentia ſint, non ſolum regulæ prudentiæ ſvadent, ſed & præcepta æquitatis naturalis, poſtulant, ut prægravationi quantocyus medela afferatur: interdum etiam prudentiæ ſpecimen erit, ſi vel maxime non liqueat, an contra regulas juſti durius habiti fuerint, colorem tamen gravaminis, qualemcunque tollere, quatenus ſine publicæ rei detrimento id fieri poteſt. Quoad alteram vero quæſtionem, in circulum & difficultates inexplicabiles incideremus, ſi Ruſticis arbitrium concederetur, definiendi contra Magiſtratum, quænam ipſorum querelæ evidenter juſtæ ſint, quæ non. Proin ob præſumtionem, ut ſupra vidimus, pro Magiſtratu interim militantem, proviſionali decreto omnino locum facientem, aſſerere nullus dubito, homagii præſtationem ſub obtentu gravaminum, quibus medela

non-

nondum affulſerit, differri neutiquam poſſe; eoque in theſi pertinent, quæ Referens apud KLOCKIVM (in hypotheſi Civitatis Brunſvicenſis) *Relat. 25. num. 3. 5. 8. 10. 16. 33. 39. 65. 112. 127.* pluribus deduxit.

§. XIII. Supereſt, ut de remediis diſpiciamus, quibus Imperantes Jura ſua contra Ruſticos refractarios ſarta tecta ſervare, à contemtu & interitu vindicare, ipſos vero immorigeros coërcere, in ordinem redigere, & ad debita ſubjectionis obſequia cogere poſſunt. Si de Regionum Dominis in Germania, primario heic diſpicerem, quaeſtio ipſa, ob varii Juris uſum, in eadem vigentem, tanto magis implicata foret. Quia vero ad Patriae mores potiſſimum attentus ſum, in eadem vero, Leges domeſticae & ſcriptae & non-ſcriptae unicam cynoſuram praebent, hisque deficientibus, ad Jus illud recurritur, *ſine quo, ſi forent Jure Conſulti,* Cicerone Judice, *non tam Juſtitiæ, quam litigandi vias traderent.* Primo omnium, per modum digreſſionis, disquirere lubet: num Jus Rom. in Patria mea nullum plane inveniat uſum? Ubi quidem SIMLERI noſtratis, teſtimonium in omnium ore verſatur. *Diſceptantur*, ait, *apud Nos cauſæ non ex Romano Jure & Reſponſis JCtorum, ſed ex æquo*

*æquo & bono, ac Legibus & Conſvetudinibus ſingulorum populorum: ſcio hanc agendi rationem barbaram à multis judicari, exiſtimantibus tantum Jure Scripto Rom. utendum eſſe, ſine quo in gravium & obſcurarum controverſiarum explicatione ſæpe homines, etiam prudentes, à vero & juſto aberrent, &c.* Eodemque haud dubie pertinet, quod apud KREIDENMANNUM von des Teutſchen Adels Staat, Stand, und Rechten *Quæſt. 28. §. 14.* me legiſſe memini; Memorat ibidem: Es habe der Landſchreiber zu Frauen-Felde ihm erzehlet, auf eine Zeit ſeyen die Ambtleute beyſammen geſeſſen im Gericht, da ſeye eine Parthey kommen, mit einem Doctor und Advocaten von Coſtanz, der habe eine Klag und Vortrag gethan, eine Erbſchafft betreffend, und habe allegirt Bartolum, Baldum, und mehr andere Doctores; da ſeye der Land-Ambtmann dem Doctor in die Rede gefallen, und geſagt: **Hört ihr Doctor, wir Aydgenoſſen fragen nicht nach dem Barthele und Baldele, und andern Doctorn, wir haben ſonderbahre Landbrüche und Rechte.**

Naus mit euch, Doctor, naus mit euch! und habe der gute Doctor müſſen abtreten, und ſie Ambtleute ſich einer Urtheil verglichen, den Doctor wieder eingefodert, und ein Urthel geben, wieder den Barthele und Baldele, und wieder den Doctor von Coſtanz. Ridet quidem hæc talia, ut ex integro contextu apparet, KREIDENMANNVS, atro carbone Patriæ meæ inſtituta vel ideo notanda exiſtimans, quod fieri aliter non poſſit, quin laxo & vago Judicis arbitrio, in tanta Legum Domeſticarum paucitate nimium indulgeatur. Aſt enim vero, viderint ita ſentientes, ne in ipſos quadret *Platonis* illud, apud STRABONEM *lib. 6. Geogr. p. 179.* : *Apud quos ſunt plurimæ Leges, apud hos etiam lites eſſe, & malos mores: ſicut morbi ſolent eſſe multi, ubi multi ſunt Medici.* Certe non multitudo, ſed uniformitas LL. Reipublicæ, vel ex voto, vel plerumque optimæ, convenientiſſima, vid. HERTIVS *Prudent. Civil. part. 2. Sect. 2. §. 58.* Et in qualibet Rep. illæ demum LL. optimæ, quæ ſtatui illius examuſſim conveniunt. Noſtram vero quod attinet REMPVBLICAM, moribus antiquis, res ipſius ſtare, & cadere, ſibique LL. exoticis, lingva vulgo igno-

ta conſcriptis (*k*) in vim Juris communis recipiendis, haud opus eſſe, juſtiſſimis rationibus ſuffulta, ſemper credidit. Utcunque etiam in Germania jam inde à Seculo XIII. Jus Civile Romanum primum innotuerit; mox Legislatoribus & Judicibus, ob vim rationis & æquitatis, in deliciis fuerit; tum Scholas & Magiſtros inſtruere cœperit; demum in Foris & Curiis vim Legis acceperit: atque adeo fieri potuiſſet ut antequam HELVETIA à reliquo Imperii Germanici corpore primum avulſa, dein (dudum tamen ante Pacificationem Weſtphalicam, quicquid Dn. *Autor Germaniæ Principis part. I. pag. 148.* in contrarium dixerit) omnimodæ Libertati aſſerta, idem jus comiter obſervaſſet, ac retinuiſſet: attamen, ut morum & frugalitatis priſtinæ, ita & Legum Domeſticarum retinentiores ſemper fuerunt. Majores noſtri, quam ut iisdem tam facile repudium mitterent. Graviſſimæ etiam iisdem conſtiterunt rationes, cur Jus Ju-



(*k*) Vere M. MONTAGNE *L. I. des Eſſays, pag. 129. quelle choſe peut être plus etrange, que devoir un Peuple obligê à ſviore des Loix, qu'il n'entendit jamais, attachê en tous ſes affaires domeſtiques, mariages, donations, à des regles, quil ne peut ſçavoir, n'étans ecrites, ni publiées en ſa langve, & des quelles par neceſſité il faille acheter l'interpretation & l'uſage.* Add. *pag. 130.*

Juſtinianeum, Monarchicis paſſim rationibus ſubnixum, ſicut ipſum Rom. Imperium, obſervante CONRINGIO *Prudent. Civil. cap. 14. pag. 314.* herile fuit, atque adeo à rationibus ſuæ Reip. oppido diverſum, haud æque receperit. Add. Dn. de GVNDLING. *Pandect: part. 1. pag. 39.* Interim Leges noſtræ Reip. regundæ non tantum ſufficientes ſunt (*l*) & Judicum arbitrium iis limitibus circumſcriptum, ut in transvorſum non facile deflectere poſſit: ſed etiam ſimplex in Judiciis noſtratibus proceſſuum ratio (nec LL. multitudine vel obſcuritate, nec lucri cupidine lites protelante, aut immortales plane reddente) aliaque plura efficiunt, ut aſſerere ſine jactantia poſſimus, & apud Nos, *plus valere bonos Mores, quam alibi valent bonæ Leges.*

§. XIV. Non ignorat tamen Patria mea, Romanum Jus (ut vere *Seldenus*) optimum Juris Naturæ interpretem eſſe, quippe quod, (ceu GROTIUS diſſerit *Epiſt. 332.*) inde à Decemvirum

(l) Pluribus id manifeſtum fiet, ubi *Conſultiſſ. Dn. Johann. Jacob.* LEO *Reip. Tigurinæ à Secretis*, collectionem LL. Patriarum, quam promiſit, Orbi erudito communicaverit, eadem grata mente excipiendam, qua ob *Simlerum illuſtratum*, quilibet ipſum proſequitur.

rum tempore, ad Juſtiniani usque ætatem, viri maximo judicio, ſanctitate morum, & eruditione præditi, ad firmandam illam Civilem ſocietatem, ex principiis æquitatis Naturalis, & Gentium ſaniorum placitis extruxerunt; indeque factum eſſe, ut, ad quas Gentes Rom. arma pertingere nunquam potuerunt, ad easdem tamen Rom. LL. ſine vi ulla, juſtitia ſua triumphantes, pervenerint. Has, aliasque ob cauſas, non quidem autoritatis nutum, attamen æquitatis rationem *Patria* mea in iisdem agnoſcit, ac comiter veneratur. Nec minus, ingenua Helvetiorum Juventus, ad exteras Academias miſſa, ſibi dictum putat, quod idem GROTIVS *d. l.* ad *Maurerium*, nihil eſſe homine nobili dignius, quam cognitionem Juris, primum illius, quod omnes homines hominibus, & gentes gentibus ſociat, deinde Patrii, demum & Romani Juris ut quod perfectum, excultumque experimentis tam magni, tamque diuturni Imperii, indeque & hujus Juris principia ſibi cognita jure merito reddit. Uno verbo, ſicut Romani, è Rhodiorum LL. juſta petebant, ſiquidem nulla ex ipſorum LL. adverſaretur, *l. 9. ff. ad L. Rhod. de Jactu.* ita quoque Patria, deficientibus Legibus domeſticis, æquitatis rationes ex Jure Rom. ſine ullo neceſſitatis,

aut coactionis vinculo, ſponte petere haud dubitat. (*m*)

§. XV. Ut è diverticulo de LL. Rom. (quæ in hac præſertim materia, ob diverſiſſimam Jurisdictionis, & nexus Rerump. indolem, minorem quam in aliis inveniunt uſum) in viam redeamus: vulgo nota ſunt remedia, adverſus refractarios, quod ultimum in Jurisdictione, facere detrectantes, mulctæ puta pecuniariæ, carcer, & manus militaris, quibus heic tanto minus immoramur, cum inferioribus etiam Magiſtratibus conveniant, nos autem de Jure *Imperantium* in Ruſticos refractarios ſolliciti ſimus. Ut tamen & Hi lenioribus iſtis remediis, in grauioribus tumultibus primum utan-

(*m*) Ut jam non dicam ad mores Vicinorum, quibuscum commercium, quantum ſine detrimento publicæ rei fieri poteſt, alias in defectu LL. plura componi, vid. *Conſilia Marburg. Volum. I. Conſil. 24. num. 162.* Nec illud addam, *potentiſſimam Rempubl.* BERNENSEM, utut jam anno 1353. in Fœdus cum reliquis conceſſerit, attamen Ipſius Leges in Criminalibus, ad *Ordinationem Caroli V.* paſſim ſe referre: quin & ex *Helvetia* ad Germaniæ JCtos Acta pro Sententia concipienda non raro transmitti, ſicut adhuc ad *Inclutam Facultatem Juridicam* hujus Academiæ, *Baſilea*, anno 1717. in cauſa Dnn. de P. Acta transmiſſa. Differentias Juris Rom. & Helvetici *Diſſert. inaug.* anno 1685. colligere cœpit *Dn. Wetſtein Profeſſor Baſileenſis.*

tantur, regulæ prudentiæ & manſvetudinis ratio efficere ſolent. Ubi vero duro nodo, durior cuneus adhibendus, illud primo quæritur: An privilegia, ſive ex mera liberalitate, ſive per conventionem, remuneratorie & oneroſo titulo Communitati indulta, in caſu, ubi concedens Judex eſſe poteſt, ob præfractam denegationem obſequii, per ſententiam revocari poſſint, idque in perpetuum? Pro reſolutione illius quæſtionis, præmittendum cenſemus, ad hoc, ut Univerſitas deliquiſſe cenſeatur, requiri omnino (1) ut conſtet omnes, qui in eadem jus ſuffragii habent, more recepto ad conſultandum vocatos fuiſſe, actualiter etiam (2) deliberaſſe, & conſenſiſſe, vid. GROTIUS *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 21. §. 7.* PUFENDORF. *de J. N. & G. Lib. 8. cap. 3. §. 28.* nec minus (3) ſenſum communem dictitare, ad hoc, ut tanquam rebellis quis puniri poſſit, ſolum propoſitum, in animo retentum, haud ſufficere, ſed ut conatus in actus exteriores proruperit, requiri; (ut enim delictum actu conſummatum ſit, non deſiderabit, qui in gravioribus, vel ob ſolum conatum pœnæ ordinariæ locum eſſe haud ignorat;) Conf. de delictis Univerſitatum KNIPSCHILD. *d. l. L. 5. c. 1. n. 15.* GAIL. *de P. P. l. 2. c. 9.* MYNSING. *4. O. 78.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058181687-19

*O.78.79.* Nec minus (4) ad beneficium, de quo adimendo agitur attendendum, an ſingulos concernat; an Univerſitatem: ſingulos autem concernit, ſi v. gr. membra Communitatis vel nihil, aut minus, quam alii vectigalium nomine ſolvunt: univerſos, ſi v. gr. Communitas jure monetandi gaudeat, aut beneficio, ut prædia ab antiquo tempore in alterius pagi diſtrictu poſſeſſa, Cataſtro tamen Communitatis, ad quoscunque perveniant, ratione Collectarum obnoxia maneant. Quæ hujus generis ſunt, facilius utique quam priora communitati, etiam in perpetuum, adimuntur, GROTIVS *d.* §. *7.* PVFENDORF. *d.* §. *28.* Quia tamen, ubi delicti gravitas exemplum exigit, ipſum vinculum Communitatis diſſolvi poteſt, (*n*) non ambi-

(*n*) Univerſitates in totum diſſolvi poſſe, ita ut omnia cœtus Civilis, jura amittant, teſtatur GROTIVS *lib. 2. c. 9. §. 3. 6.* Eoque quodammodo pertinet Sententia *Conſilii Imperialis Aulici*, in cauſa *Burggravenroth. & Conſ.* contra die Burg Fridberg *anno 1719.* die 17. Julii publicata, cui annexum: Da klagende Dörffer eine weitere Renitenz bezeugen würden / würden Jhro Kayſerl. Majeſtät bewogen werden die Carber-Marcker Gemeinſchafft gar zu diſſolviren; prout annexum illud cum Sententia ipſa exhibet *Collection* der merckwürdigen Reichs-Hoff-Raths *Concluſorum part. I. pag. 200.*

ambigendum quoque, & ea privilegia, quæ ſingulos attinent, nocentibus per Sententiam adimi poſſe, quibus tali caſu vel ipſa vita recte adimitur. Etſi enim æquitati convenientius, ut regulariter ad tempus ſaltem immunitatum (o) aut privilegiorum uſus ſuſpendatur; quinimo in Imperio R. G. etiam Banno Imperiali notati, præſtita paritione, in integrum reſtituantur; inde tamen inferri nequit, ob atrocitatem delicti, privilegia, Communitati conceſſa, in perpetuum nunquam auferri poſſe.

§. XVI. Secundo loco quæſtio illa ſubnaſcitur: Num Ruſticis refractariis emigratio, ſalva Juſtitia, imperari poſſit? quam affirmare nullus dubito. Utut enim grave omnino videatur, &



(o) Add. Kurtze Beſchreibung der zwiſchen dem F. Haus Hohenzollern und deſſen Unterthanen beym Kayſerl. Cammerger. ſtrittigen freyen Pürſch-Gerechtigkeit, *pag. 68.* ubi à Commiſſariis Cæſareis, uſum Diplomatis ſuper immunitate, in decennium ſuſpenſum fuiſſe memoratur, verbis: Der zu ihrem nichtigen Behueff misbrauchte Immunität- und Freyheits-Brieff ſolle auf 10. Jahr lang dergeſtalt ſuſpendirt ſeyn, daß ſelbige nach Erlegung der ordinari Frohn-Gelder, ſolche Zeit über, die alte ohngemeſſene Dienſte dem Fürſtenthum præſtiren ſollen. &c.

Chriſtianæ charitati adverſum, proximo, licet ſubdito, duriſſimam neceſſitatem imponere, collectis ſarniculis, è loco, ubi perpetuam fortunarum ſuarum ſedem ſe fixiſſe credebat, migrandi; utcunque etiam Imperans hac vel illa ſubditi præſtatione facilius carere poſſit, quam ſubditus ipſe ſolum vertere, ac patrios lares vendere, aut derelinquere. Attamen, ſi unio illa, qua Cœtus Civilis velut animatur, aliter obtineri nequeat, quam immedicabili ejusmodi vulnere, ne pars ſincera trahatur, reſecto, remotisque turbulentis in Rep. Civibus, ipſa ſuprema Reip. Lex, ut neceſſitatem, ita jus emigrationem imperandi, ſponte ſua porrigit. Eoque, quoad Regionum Dominos in Imperio R. G. præjudicia illa pertinent, quæ è *Carpzovio* & *Richtero* citat B. Dn. GROLLMANN. *d. Tract. cap. 5. §. 7.* Cogitare utique debebant hi tales, quod apud GRAMMONDVM *Hiſt. Gall. lib. 2. extra fidem Regi debitam, ſubditis nihil præſidii eſſe.*

§. XVII. Denique & illa quæſtio ſupereſt: Num *Ruſticis*, *Imperantibus refractariis*, pœna capitalis, aliave corporis afflictiva irrogari poſſit? ad quam explicandam, rurſus non una diſtinctione opus. Plurimum, inquam, intereſt, an unus

vel

vel plures, an universa Communitas motus excitaverit; rurſus an in ſola inobedientia iidem ſubſtiterint, an tumultus, vel ſeditio inde excitata, an plane in bellum civile proruperint. Tumultus graviores ad everſionem Reip. tendentes, ac ſeditiones, & multo magis bella civilia, velut crimen læſæ Majeſtatis, pœnæ capitali locum facere, extra omnem dubitationem poſitum: ita tamen, ut, ſi Univerſitas deliquerit, autores potiſſimum puniri, omnino rationis ſit; Univerſitati vero, pro ratione circumſtantiarum, vel bona & jura adimi, interdum & ſortitio decerni ſolet, vid. PVFENDORF. *de J. N. & G. lib. 8. cap. 3. §. 28.* ibique HERT. *in not. cum. alleg.* CARPZOV. *Jprud. Crimin. part. 1. quæſt. 44. junct. part. 2. quæſt. 100. num. 7. 8. 9.* KLOCK. *volum. 2. conſil. 27. num. 35. 36. 38. 39. 40.* Hisque ſuppoſitis, non male Autor *des Avantures* DE TELEMAQVE *pag. m. 139.* Les crimes, que vous ne pourrés pas prevenir, puniſſés les d'abord ſeverement; c'eſt une clemençe que de faire d'abord des exemples, qui arretent le cours de l'iniquité: par un peu de ſang repandu à propos, on en epargne beaucoup, & on ſe met en état d'être craint, ſans uſer ſouvent des rigeurs, &c. Hactenus de via facti, Imperantibus adverſus Ruſticos



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058181687-19

permiſſa & licita. Conf. STRYCKII *Diſſ. de Via facti Princip. Imp. permiſſa.* Quodſi via Juris, & quidem in Regionibus Germaniæ, in cauſa Dominorum contra ſubditos, coram Summis Imperii Tribunalibus res peragenda, quæ remedia Juris, & petitoria, & poſſeſſoria locum inveniant, DN. GROLLMANN. *d. Tr.* pluribus expoſuit; ejusmodi vero proceſſus, cumprimis in cauſa Homagii denegati, difficillimos, indeque eo diligentius inſtruendos eſſe, *Perilluſtris* DN. DE LVDOLPH. *Syſtem. Jur. Camer. part. 1. §. 10.* notanter notavit.

§. XVIII. Nimis vero incurius rerum Patriarum, meique inſtituti immemor videri poſſem, ſiquidem, pro illuſtrandis ſuperioribus, exemplum *Ruſticorum VVilchingenſium* non adderem, qui inclutæ REIP. SCHAPHVSANAE, inde ab anno 1717. in hodiernum usque diem Homagii præſtationem, ad quam tenentur, præfracte denegarunt. Longæ hujus injuriæ longas ambages hic proinde referam, non quot in tantum mihi ſuffenus ſim, ut *Patriæ* dulciſſimæ Jura condigne defendere me poſſe præſumam, quin potius infirmitatis meæ probe conſcius, & neceſſariis ſubſidiis deſtitutus, id tantum agam, ut, qua lenitate & manſvetudine *Magnificus & Ampliſſimus Patriæ* SENATVS

NATVS erga refractarios iſtos uſus ſit, omnium oculis exponam. Accedit, quod è familia illa deſcendam, cui Vicarii Vaſalli (des erſten Lehn-Trägers) munus, in ſubfeudis infra memoratis, primitus concreditum; ac nexus, quo Patriæ devincti ſumus, illo non inferior ſit, quo Parentibus tenemur. Et quamvis adeo privatæ hæ meditationes plane innoxiæ, ac nullius indignationem vel offenſam incurrere poſſint; ſi quid tamen alicubi ſecius tradidiſſe videbor, monitus, de errore, ſi quis appartuerit, ſponte concedam, ſcriptumque, vel hoc ipſo, pro non-ſcripto haberi volo. Series ſubortæ controverſiæ, ſi recte memini, hæc eſt: RESPVBLICA Patria anno 1371. & ſequentibus à plus uno Domino videlicet *Baronibus à Krenchingen*, *Nobilibus*, *Fridpoldis*, aliisque, prædictum Vicum *VVilchingen*, pro Hoſpitali ſuo, certo pretio exſoluto emit; isque emtionis venditionis contractus à SIGISMVNDO, ceu *Rege Romanorum* anno 1418. & ab Eodem *Imperatore* anno 1433. confirmatus eſt; hoc ipſo anno RESPVBLICA *Patria*, inſtrumento deſuper confecto, *VVilchingenſibus* liberaliter promiſit, ſe jura ipſorum ſine ulla innovatione tuituram eſſe. Abhinc *Reſpubl.* SCHAFHVSANA prædicto Vico Præfectos

 (Vög-

(Vögde) præſtituit, qui in realibus & perſonalibus Jus dixerunt; ab eorum ſententiis ad *Remp. Patriam* appellatum, Eademque reliqua Jura Territorialia, v. gr. Jus circa Sacra, Armorum, Sequelæ, Collectandi, Subditos recipiendi, Legum ferendarum &c. quiete exercuit, & pro illorum omnium firmamento, Homagium ſuſcepit.

§. XIX. Quemadmodum vero Imperatores, ſeculis anterioribus, hinc inde per Germaniam, Comites Provinciales, libero arbitrio, ordinarunt: ita ſequiori ævo conſultius viſum, certis Familiis Illuſtribus, Jura Comitum Provincialium ſub nexu Feudali concedere. Eademque ratione Judicium Provinciale in *Kletgovia*, in qua vicus *VVilchingen* ſitus, Celſiſſimæ Familiæ *Comitum* DE SVLTZ (*a*) ab Impp. collatum. Cumque inter vicinos, philavtia prava, omnibus hominibus innata, fomitem ſuppeditante, facillime lites oriantur, non aliam vero ob cauſam animi vicinorum citius collidantur, quam ob fines Jurisdictionis,

(*a*) Quæ Familia etiam Dignitatem Judicis in Tribunali Rothwilenſi obtinuit, quam, linea maſculina anno 1687. extincta, per matrimonium cum Comitiſſa de SVLTZ, Sereniſſima Domus Principalis SCHWARZENBERGICA conſecuta, ac etiamnum poſſidet.

nis, vid. KLOCK. *vol. 1. Conſil. 50. num. 41. 42.* ad imitationem *Tiridatis* apud TACITVM *Annal. lib. 15. cap. 1.* jactitantis: *id in ſumma fortuna æquius, quod validius, & ſua retinere privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem eſſe:* Eadem occaſione Judicium Provinciale in *Kletgovia* anno 1452. Patriæ meæ litem hoc ipſo intentavit, dum *VVilchingenſes* in cauſis Civilibus ad forum ſuum pertrahere conatum fuit. Excipiebant quidem *VVilchingenſes* de incompetentia fori, ſed incaſſum: eventus enim fuit is, ut *VVilchingenſes* banno contumaciæ innodarentur. Non intermiſit *Reſp. Patria*, hoc rerum ſtatu, cauſam ſubditorum ſuorum in ſe ſuſcipere, & evicta coram Judicio Rothwilenſi ipſorum exemtione ac libertate, id obtinuit, ut Sententia Banni à Judicio Provinciali præpoperata, pro irrita declarata, ipſumque Judicium in Bannum declaratum fuerit: (*b*)

§. XX. Ex ſupra dictis apparet, de Banno ſangvinis, ſeu Jure plectendi facinoroſos, jure Foreſti, & conducendi inter *Comites* DE SVLTZ & *Rempublicam* SCHAPHVSANAM nullam hactenus

(*b*) Contigit hoc eodem tempore & anno, quo JOHANNES *Comes* DE SVLTZ, frater tunc regentis *Comitis* DE SVLTZ, Judex Rothwilanus erat.

nus litem fuiſſe. Cum vero anno 1563. officiales prædicti Comitis fines *Banni Sangvinis* ita extendere conarentur (ut Jurisdictioni Civili id ipſum inſigni detrimento eſſet: Patria mea poſſeſſionem & Jura ſua denuo contra innovationes iſtas ſtrenue defendit; eoque tandem res pervenit, ut transactione intercedente anno 1582. omnimoda & ſolitaria Jurisdictio Civilis Reipubl. noſtræ confirmata, ratione banni ſangvinis autem conventum fuerit, ut Patria facinoroſos Judici Sangvinis tunc demum tradere teneretur, ſiquidem vel per torturam, aut alias legitimas probationes de crimine capitali, ab inquiſito commiſſo, ſufficienter conſtaret. Confirmata quidem fuit hæc pactio auctoritate Cæſarea, verum ne ſic quidem diſcordiæ ſemina penitus ſublata, quin potius ſubinde novæ querclæ ſubortæ. Contigit tandem, ut anno 1656. de lite per modum ſubinfeudationis terminanda, conveniret: indeque Celſiſſima Domus, ab Imp. ceu Domino Directo conſenſum impetravit, inclutas *Respublicas* TIGVRINAM & SCHAPHVSANAM cum Juribus, quoad gradum, hucusque controverſis, intercedente emtionis venditionis contractu ſubinfeudandi: & ne aliquando obtendi poſſet, Superioritatem Terri-

toria-

torialem venditori competiiſſe, eundemque illa ſe non abdicaſſe, id egerunt Emtores, ut Tabulis venditionis, mentio **der Landes-Ober- und Herrlichkeit**, item, exemtionis **vom Land-Gericht** diſerte inſereretur: quod & anno 1657. per ſeparatum pactum expreſſum (**durch einen Neben**-Receſs) ſimulque prædicta ſubinfeudatio denuo confirmata fuit.

§. XXI. Ex eo tempore ceſſavit controverſia, quieverunt *VVilchingenſes* & juſſis Superiorum ſuorum debita ſubjectione morem geſſerunt. Eventus tamen docuit obumbratam tantum quietem fuiſſe, & parum abeſſe, quin de *VVilchingenſibus* quoque dicendum ſit, quod ſupra ex GRATIANO audivimus, *ruſticorum arrogantia nihil petulantius eſſe.* Cum enim Ampliſſimus *Patriæ* SENATVS anno 1717. Viduæ cuidam, in prædicto Vico habitanti, jus Tabernæ & hoſpitii, ad preces ipſius, conceſſiſſet; occaſionem inde arripuerunt *VVilchingenſes* contra ſtimulum calcitrandi, contendentes ſe anno 1463. cum Taberna, jura hæc à Nobili quadam fœmina emiſſe, conſequenter *Reip. Patriæ* liberum non eſſe, aliis perſonis tale quid largiendi. Ecquis vero ignorat, & Gentium & Civili jure, ex eo ſolo, quodquis in

F poſſeſ-

poſſeſſione molendini, tabernæ &c. conſtitutus ſit, nullum jus naſci alios prohibendi, quominus molendinum extruant, tabernam erigant, ſed ad hoc, ut jus prohibendi quis aſſerere ſibi poſſit omnino requiri, ut actualis prohibitio jam antea facta, eidemque alter per tempus lege definitum acquieverit, vid. *Conſilia Marburgenſia Vol. 1. Conſil. 38. n. 10. 11. 16. 20. 32. 52.* & in terminis noſtri caſus B. Dn. de LYNCKER. *Deciſ. 204.* WERNHER. *P. 1. Obſ. 87.* ibique *Supplem. & P. 4. Obſerv. 57. p. 6. O. 321. p. 9. O. 41.* add. Dn. Præſid. *Diſſert. de Molend. Bannar. §. 4. 12.* Quamvis ergo *VVilchingenſibus* nullum jus competierit, conceſſioni à Senatu factæ contradicendi, Vidua tamen, ad evitandam Communitatis invidiam, impetratam conceſſionem, in manus Ampliſſ. Senatus reſignavit. Annuit quoque Senatus factæ renunciationi, ut *VVilchingenſibus* vel ſic oſtenderet, qua manſvetudine cum ipſis ageretur.

§. XXII. Iidem vero, ſucceſſu hoc potius inflati, propter hæc vel alia poſtulata, (Senatui tamen tum temporis nondum propoſita, ſed alibi exhibita, & abhinc Senatui communicata) ſatisfactionem non petere ſed præſcribere haud dubitarunt; quin & *Homagium* ſtato tempore (quod annuum)

nuum)

nuum) porro præſtare recuſarunt, contendentes ut Jura & privilegia ipſorum (quorum tamen exemplar in originali producere ſubterfugiebant) confirmarentur: inſtrumentum anno 1433. ipſis conceſſum, eo detorquebant, ac ſi Hoſpitali ſemet libere obtuliſſent; ſimulque urgebant REMPVBLICAM ipſis promiſiſſe, quod libertates ipſorum defendere velit, cumque huic promiſſioni contraventum ſit, neque poſtulata ſatisfactio obtineri potuerit, ſe quoque omni obſequii fide ſolutos, ſibique liberum eſſe alium Judicem quærere. (*c*) Quamvis autem SENATVS næniis iſtis cum gravi humanitate repoſuerit, ſe *VVilchingenſes* teſtantibus Tabulis, ſupra adductis, emiſſe, quamprimum etiam ſincere ad obſequium rediiſſent, & *Homagium* præſtitiſſent, ſe, querelas ipſorum benigne recipere velle: attamen nimium ſæviebat animis ignobile vulgus, quam ut hæc talia quidquam proficerent. Tandem ergo, leniori-



(*c*) Quaſi vero his ruſticis, querulis ſine cauſa doloris, liberum eſſet obſequio perinde renunciare, ac de Arragonibus memorat *Voiage d' Eſpagne de l' an. 1655. pag. 355.* quod Regem, poſtquam ipſorum privilegia ſacramento firmaſſet, ita quondam allocuti fuerint: *Nous vous faiſons nôtre Roi & Seigneur à condition que vous garderez nos privileges & franchiſes, autrement non.*

bus fruſtra tentatis, manum militarem eo miſit, ut refractarios cogeret ad obſequium redire. Verum ſeceſſerunt mox *VVilchingenſium* complures in vicinos pagos *Kletgoviæ* inferioris, ad *Sereniſſimum Principem* SCHWARZENBERGI cum ſpectantis, conquerentes, ſe contra promiſſionem anno 1433. ſibi factam & contra inſtrumentum emtionis plus juſto onerari, deteriorari Feudum, indeque Jurisdictionem Curiæ beneficiariæ Schwarzenbergicæ fundatam eſſe. E contrario RESPUBLICA *Patria* credebat, jure inter Vicinos Regionum Dominos recepto, ſubditos ſuos refractarios non recipiendos, ſed Senatui remittendos fuiſſe. Satrapia Schwartzenbergica (das Ober-Amt) in Thuingen viciſſim replicabat, ante emtionem, ſæpius dicti ſubfeudi, *VVilchingenſes* ſubditos Comitatus Sulzenſis fuiſſe, & cum in pacto ſupra memorato conventum ſit, *VVilchingenſes* novis oneribus gravandos non eſſe, oppreſſos non ſolum audiendos, ſed & ex officio indagandum eſſe, an migrata hac conventione, ſubfeudum detrimenti quid paſſum, aut promiſſa violata fuerint.

§. XXIII. Quodſi nunc pro libertate Academica, quid ſentiam profiteri licet, cardo totius controverſiæ in ſequentibus verſatur: an (1) conceſſio

ceſſio tabernæ vinariæ, & (2) coercitio, poſt denegatam Homagii præſtationem manu forti ſuſcepta, circa ſubfeudum verſaverint; & (3) num in applicatione iſtius remedii coactivi quidquam admiſſum ſit, ex quo Domino directo mediato, juſta cauſa ſubnata, litem hanc velut ſubfeudum ejusque deteriorationem concernentem, ad Curiam ſuam Feudalem pertrahendi. *Primum*, quod attinet, ſupra jam evictum eſt, ex eo ſolo, quod ſubditi à Vidua Nobili Tabernam vinariam emerint, inferri non poſſe, Magiſtratui integrum non fuiſſe, aliis perſonis jus ejusmodi tabernam erigendi, concedere: & cum unanimis hæc ſit JCtorum doctrina, inde ſimul liquet, ruſticos indignationem REIPVBLICAE omnino meruiſſe. Accedit quod jura ad *Comites de* SVLTZ ſpectantia, in alieno exercita fuerint, ſeque habeant ad modum ſervitutum Juris Publici, indeque omnino reſtringenda ſint. Præterea conceſſio tabernæ vinariæ ad ordinariam Civilem Jurisdictionem pertinet, iis vero qui *Bannum ſangvinis* habent, propterea tale quid concedere non liceat, KLOCK. *Volum. 1. Conſ. 11. num. 77. 78.* Ad *ſecundum* reponitur, *Magiſtratum* circa antiquam *Homagii* formulam nihil mutaſſe, & tamen Ruſticos in denegatione

præſtationis perſtitiſſe: ecquis ergo in dubium vocabit Imperantibus fas fuiſſe, pro tuenda autoritate, publicaque tranquillitate conſervanda, refractarios ad Homagii præſtationem, vel armata manu compellere? Vere PUFENDORFIUS *Rer. Brandenb. Lib. 9. §. 83. Bellum vocari non poteſt, ſi Princeps refractarios ſubditos ad Homagium, à Cæſare & Imperio probatum, vi compellit.*

§. XXIV. Prius vero quam ad *tertiam* quæſtionem accedam, præmittere neceſſarium duco, Diploma CAESAREI conſenſus, à *Comite* DE SULTZ, ut ſupra vidimus, impetrati, diſerte continere, ſupplicantem Comitem faſſum eſſe, *quod gradus Banni ſangvinis nondum liquido determinati ſint:* dum ergo Celſiſſima Domus nullam Superioritatis Territorialis mentionem fecit, quin potius ſponte agnovit, de gradibus Banni ſangvinis unice quæſtionem eſſe: prono quaſi alveo exinde fluit, *Comites Sulzenſes*, Superioritatem Territorialem in vico *VVilchingen* tunc temporis ſibi nec aſſeruiſſe, nec aſſerere potuiſſe. Ponamus etiam *Comitatum Sulzenſem* tempore initæ transactionis Superioritatem Territorialem in pago *VVilchingen* revera ſibi aſſeruiſſe, quo Jure, quave injuria id factum ſit, ex ſequentibus apparebit:

Con-

Conſtat nimirum SCHAPHVSANAM *Remp.* tam ex Diplomate Cæſarei conſenſus, quam ex compoſitione anno 1582. inita, Jurisdictionem Civilem, Jus circa Sacra, Legum ferendarum, Magiſtratuum conſtituendorum, addo, cenſum emigrationis poſcendi &c. exercuiſſe. Ex adverſo *Comitatus Sulzenſis* eum ſolummodo Banni ſangvinis gradum, hucusque exercuit, ut poſtquam vel ex confeſſione, probatione, aut reſponſionibus ad quæſtiones torturales, conſtaret, reum ultimo ſupplicio plectendum eſſe, tunc demum Judici Sangvinis is extradendus ſit: eidemque Comitatui jus conducendi & Jurisdictio Foreſtalis competiit. Jam vero conſtans eſt JCtorum Sententia, ordinariæ Jurisdictionis Dominum fundatam habere Superioritatis intentionem in ſuo, etſi alius Jurisdictionem Criminalem, Foreſtalem, Jus conducendi, plurave alia ſingularia Jura ibidem habeat, vid. KLOCK. *Vol. 1. Conſil. 8. & Conſ. 9. num. 36. 41. 78. Conſ. 11. num. 86. 87. 88. Conſil. 27. num. 20. Conſil. 35. num. 18. Conſil. 50. num. 42. - 46. 184. 193. 194.* Ex quibus omnibus conſequitur, Jura à *Comitibus* DE SVLTZ exercita ſingularia eſſe, à Superioritate ſeparata, & ad eandem nihil inde inferri poſſe.

§. XXV.

§. XXV. Supereſt, ut de eo adhuc diſpiciamus, num Iudicio Provinciali Kletgovienſi, in *VVilchingenſes*, Iurisdictio aliqua competierit? Primo equidem intuitu, ad narrationes unius partis, omnino ita videri poſſet, eo quod, ſecundum ſupra deducta, exemtio, à laudato Tribunali, in Civilibus, certo pretio conſtituto emta fuerit: unde, ut pars adverſa cenſet, illud omnino ſequitur, *VVilchingenſes* antea præfato Iudicio ſubjectos fuiſſe, exemtionem vero per ſubinfeudationem demum acquiſitam eſſe, atque adeo partem ſubfeudi conſtituere, proindeque *Sereniſſimo Principi* SCHWARZENBERGICO ſemper integrum eſſe, providere, ne vel in civilibus *VVilchingenſes* ullo modo graventur. Quam ſpecioſum vero, primo intuitu, hoc argumentum, tanto minus id ipſum in receſſu habere, ex ſequentibus apparebit. Supradicta ſatis, opinor, evincunt, in Civilibus *VVilchingenſes* ne in minimo quidem Iudicio Provinciali unquam ſubjectos fuiſſe. Quo minus etiam argumentum partis adverſæ ſtringat, id vel ſolum efficit, quod actus hominum nunquam contra ipſorum intentionem interpretandi ſint. Iam vero in pactis ſupra memoratis proſpicere ſibi voluit Senatus, & quæ majoris cautelæ gratia fiunt,

non

non ſunt detorquenda in odium illius, qui ſibi conſulere voluit, contra ipſius intentionem; proſpicere autem ſibi voluit *Senatus*, neutiquam vero de Jure ſuo quidquam remittere, vid. KLOCK. *Vol. 1. Conſ. 9. num. 160. 163.*

§. XXVI. Ex hactenus deductis, abunde liquet (1) absque ulla LL. vel pactorum violatione, REMPVBLICAM *Patriam* jus Tabernæ vinariæ viduæ ſupplicanti, ut ſupra dictum, contuliſſe, idque (2) non ex poteſtate per ſub-infeudationem demum adepta, ſed ex facultate morali, ſibi antea jam quaeſita. Ruſticos vero, contemta jurisjurandi Homagialis, antea præſtiti, religione, fluctus in ſimpulo moviſſe, eosdemque (3) nullam legitimam cauſam habuiſſe annui homagii recuſandi; quin potius (4) Magiſtratui graviſſimas rationes conſtitiſſe, cur primo editionem privilegiorum prætenſorum exegerit, & id quidem in forma authentica, vid. KLOCK. *Vol. I. Conſil. 19.* Antequam vero (5) de jactitatis gravaminibus, num relevantia ſint, cognoſci potuerit, homagium præſtandum fuiſſe; (6) de Juribus, quæ in ſubfeudum conceſſa, in univerſa hujus litigii tela nihil deprehendi, proindeque Forum *Schvvarzenbergenſe* feudale nec quoad allegatam deterioratio-

 nem

nem feudi, nec quoad competentiam, ulla ratione fundatum eſſe. Multo minus (7) *VVilchingenſibus* refractariis, hoc ipſo vim illatam eſſe, quod manus militaris, vigore ſuperioritatis ipſis immiſſa, per aliquod tempus in ipſorum Vico ſubſtiterit, forte etiam nonnullos tumultuantium per breve tempus in cuſtodia detinuerit, ſtipendia & commeatus ex ipſorum facultatibus perceperit, nec juſtam conquerendi cauſam ulla eos ex parte habuiſſe, cum ipſis, hæc talia cauſantibus, vel ſola regula Grotiana abunde ſatisfaciat: *involuntarium ex voluntario ortum, moraliter pro voluntario haberi.* Cumque nulla alia ratio tuendæ publicæ ſalutisupereſſet, ſatius omnino fuit, ut quicquid è turbis iſtis ortum, autores luerent, quam ut innocens ærarium publicum hæc talia ferret. Vid. B. Dn. GROLLMANN. *de mutat. operar. P. 3. C. 5. §. 6. 7.* &c.

§. XXVII. Conſtat quoque ex ſuperioribus, nullatenus ad liquidum perductum eſſe, quod lis hæc ſubfeudum tangat. Jurisdictio quæ Domino directo in feudum competit, naturam & indolem eorum jurium habet, quæ ſingularia ſunt, ac de quibus Jureconſulti in & extra Germaniam aſſerunt, eam in dubio reſtringendam eſſe, idque

ex principio, cujus ſupra mentionem injecimus, quod civilis jurisdictio ordinarius autoritatis judiciariæ fons ſit: inde enim conſequitur, reliquos juris dicundi modos extraordinarios, indeque ſemper ita temperandos eſſe, ut, quoties ultra conventiones & mores, extraordinarius ejusmodi Judex quidquam ſibi arrogat, eidem præſumtio eousque obſtet, donec liquido conſtet, in eo, de quo quæritur articulo, autoritatem judiciariam eidem competere, vid. ROSENTHAL. *de Feudis cap. 12. concl. 5. num. 36. 37. & concl. 12. num. 73.* (d) Ex his omnibus vero *Ruſticorum VVilchingenſium* temeritas, & qua lenitate ac manſvetudine Magnificus & Ampliſſimus *Patriæ* meæ SENATUS cum iisdem egerit, luculenter apparet. Q. E. D.

Animus quidem erat, ea, quæ in LL. Imperii Rom. Germ. de Subditis Statuum in cauſis Collectarum, Armorum, Præſidiorum & connexis, non audiendis, ſed à limine Judicii ad debitam obedientiam remittendis, conſtituta, nec non de Mandatis ſine Clauſula iisdem non facile decernendis, proviſa, curatius expendere, ſimulque de *Literis*



(d) Eodem quodammodo pertinent, quæ in *Collectione* der merckwürdigſten Reichs-Hoff-Raths *Concluſ. pag. 28. 62. 64. 65. 90.* leguntur.

*pro Informatione*, von Schreiben um Bericht, nonnulla ſubjicere: Verum impedimenta, quæ ſupervenerunt & inſtans iter, filum heic abrumpere nunc quidem jubent.

# TANTVM.

# APPENDIX.

## Documenta nonnulla ad cauſam *VVILCHINGENSIVM* pertinentia exhibens.

## Num. I. Copia Conſenſus Kayſerl. Majeſtät FERDINANDI III. pro alienando certo Diſtrictu & Gradibus der hohen Obrigkeit in den Schweitzeriſchen Dorffſchafften der Landgrafſchafft Cletgau an die Städte Zürich und Schaphauſen, vom 8. Novemb. 1650.

Wir Ferdinand der Dritte von GOttes Gnaden, erwehlter Römiſcher Kayſer,

Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, zu Hungaren, Böhmen, Dalmatien, Croatien und Sclavonien König, Ertz-Hertzog zu Oeſterreich, Hertzog zu Burgund &c. Bekennen offentlich mit dieſem Brieff, und thun kund allermänniglich: Demnach Uns der Wohlgebohrne, Unſer und des Reichs lieber Getreuer, Johann Ludwig Graff zu Sultz &c. in Unterthänigkeit zu erkennen gegeben, aus was vor erheblichen Urſachen derſelbe Vorhabens ſeye, die ihme zuſtändige noch unverglichene Gradus und Diſtrictus der hohen Obrigkeit, ſamt dem Vorſt, der unter denen Stätten Zürich und Schafhauſen gelegenen Dorffſchafften, ſoweit ſich der mindere Gerichts-Diſtrictus in der Landgrafſchafft Cletgau hohe und Forſtliche Obrigkeit ziehen thut, obernanten Stätten zu einem Reichs-After-Lehen, und einem Adelichen Lehentrager zu verleyhen und kommen zu laſſen, mit gehorſamſter Bitte, daß Wir als Dominus Directus ihme hierzu Unſeren Keyſerlichen Conſens gnädigſt mittheilen wolten: Das haben Wir angeſehen, ſolch obbenanten Graffen Johann Ludwig zu Sultz unterthänigſt zimliches Bitten, und darum mit wohlbedachtem Muth, gutem Rath und rech-

rechtem Wiſſen ihme gebettener Maſſen erlaubt und zugelaſſen, daß er oberwehnte Gradus und Diſtrictus der hohen Obrigkeit, ſamt dem Vorſt, ſoweit ſich die Schweitzeriſche Dorffſchafften in der Landgraffſchafft Cletgau Hohen und Forſtlichen Jurisdiction erſtrecken, obgedachten beyden Stätten Zürich und Schafhauſen, und einem Adelichen Lehenträger zu des Reichs-Affterlehen verleyhen und kommen laſſen möge. Jedoch ſoll dieſe Unſere Bewilligung Uns und dem Heil. R. Reich an Unſerer Herrlichkeit und Lehenſchafft, auch ſonſt in alleweeg, unſchädlich ſeyn. Mit Urkund dieſes Brieffs beſiglet mit Unſerm Keyſerl. anhangendem Inſigel, der geben iſt zu Wien, den 8. Novembris nach Chriſti unſers lieben HErrn und Seligmachers gnadenreichen Geburt im 1650. Unſerer Reichen des Römiſchen im 14. des Hungariſchen im 25. und des Bömiſchen im 23. Jahr.

FERDINAND.

Vd.

FERDINAND Graff Kurtz.

*Ad Mandatum S. Cæſ. Maj. proprium*

Wilhelm Schröder.

Num.

# Num. II. Schreiben des löbl. Canton Schaphauſen an des Herrn Hertzog von Würtenberg, & mutatis mutandis, an des Fürſten von Schwartzenberg Hochfürſtl. Hochfürſtliche Durchl. Durchl. d. 16. April. 1721.

## Durchlauchtigſter Hertzog ꝛc.

Aus Ewer Hoch-Fürſtl. Durchl. unter dem 10ten Februarii diß Jahrs an Uns erlaſſenem Schreiben haben Wir in mehrerem bedaurlich wahrgenommen, was Geſtalten Uns auf unerfindliches Vorgeben Unſerer ungehorſamen Unterthanen zu Wilchingen, beygemeſſen werden will, ob hätten Wir zuwider der an Ihro Kayſerl. Majeſt. Unſer Seits erlaſſener allerdemüthigſten Sinceration, weder die Huldigung in alt gewohnter Formb, von denen hierzu vorgeblich willigen Wilchingeren annehmen, noch Ihnen in ihren Gravaminibus abhelffen, herentgegen dieſelbige mit vielen andren angezogenen Beſchwerden belegen laſſen, mit der unvermutheten Antrohung vieler Weitläufftigkeiten, Repreſſalien, und Nehmung anderer Meſures, auch angehenckter Erinnerung, ſolchem ſeine ohnverleng-

te

te Abhelffung zu geben, welches alles uns ſo da bedencklich- und empfindlicher vorkompt, als das Vorgeben in der That ſich nicht erfindet, und obbemelt-unſre Anbehörige eigene Underthanen zu Wilchingen nicht allein vormahls die alt gewohnte Huldigung zu leiſten geweigert, ſondern auch noch dis Jahrs, als zu üblicher Zeit ſie die Huldigung neben andren unſeren gehorſahmen Unterthanen daſelbſten zu leiſten angehalten werden wollen, ſie ſich hierzu nicht bequemen, mithin alſo ſo wenig dermahlen als vor einiger Zeit auf die ihnen von Seiten Schwartzenberg eingerathene und an Hand gegebene Formulam Submiſſionis ſich underziehen, und Huldigung ablegen, hingegen villerley Ausfluchten ſuchen, und zum Voraus Conditiones bedingen wollen. Gleichwie Wir nun mit Wahrheits-Grund verſichern können, daß Wir nichts anders begehren, als daß Unſere Eydtsgeſchwornen Underthanen die ſchuldige Huldigung in alt gewohnten, und in keinen Puncten geänderter Form ablegen, und ſich als getreue und gehorſahme Underthanen bezeigen ſollen, wir auch ſolchen Fals dieſelbige in ihren vermeinten Beſchwerden Gedultmüthig anzuhören, und Juſtitz-mäßig zu beſcheiden, noch

immer-

immerhin gewillet ſeynd, da immittelſt ſie wann ihnen etwas wiedriges zugeſtoſſen, oder in das künfftige erfolget, ein ſolches ihnen ſelbſt ihrem Ungehorſahm und verweigerten Huldigung in altgewonter Formb zuzuſchreiben haben: Alſo tragen zu Ewr. Hochfürſtl. Durchl. wir das zuverſichtliche Vertrauen, es werden Dieſelbe die Sach wie ſie an ſich ſelber iſt, hocherleuchtet einſehen, und unſere ungehorſahme Underthanen, wann ſie ſich wiedermahlen anmelden wolten, zur ſchuldigen Submiſſion und Gehorſahme an uns Ihre natürliche Obrigkeit vermahnen, mithin an Erhaltung der bishero wohl erſchoßenen gutnachbarlichen Intelligenz durch beſagt unſerer Underthanen ſchlimme Hartnäckigkeit, ſich etwa nicht hindern zu laſſen von ſelbſten gnädigſt gemeynt ſeyn. Damit aber Ewer Hochfürſtliche Durchl. von der Bewantſahmen dieſes Geſchäffts ein mehreres vernehmen mögen, ſo haben an Dieſelbe Wir zu dem Ende unſeren getreuen und fürgeliebten Geheimen Rahts-Freund den Hochgeachten Wohl-Edlen und Geſtrengen Herrn Johann Caſpar Marbach, Sekelmeiſter und des Raths in unſerem Nahmen abordnen wollen; Erſuchen demnach Ewer Hochfürſtl. Durchl. al-

len geziemenden Reſpects, Sie gnädig geruhen wolten, denſelben nicht allein in ſeinem Vor- und Anbringen geneigt und gedultig anzuhören und demſelbigen als uns ſelbſten völligen Glauben beyzumeſſen, ſondern auch ihne inmaſſen vergnüglich zu beſcheiden, wie zu Ewer Hochfürſtl. Durchl. Wir das zuverſichtliche Vertrauen haben. So Wir auch bey jederen an Hand gehenden Anläſſen möglichſter Kräfften zu demeriren uns beſtreben, und übrigens mit allgeziemender Veneration für beſtändig verbleiben werden

Ewer Hochfürſtl. Durchl.

Dienſtwilligſt
Bürgermeiſter Klein und Groſſe Räthe
der Statt Schaffhauſen.

Vor beyden Hn. Hn. Klein und Groſſen Räthen verleſen, und vorſtehender Maſſen approbiret, confirmiret und zu expediren befohlen. Den 16. Aprilis 1721.

## Num. III. Schreiben des Herrn Hertzog von Würtenberg, und Fürſten von Schwartzenberg Hochfürſtl. Hochfürſtl. Durchl. Durchl. an den Canton Schaphauſen de 27. Aug. 1725.

Von

# Von GOttes Gnaden
# Eberhard Ludwig Hertzog zu Würtenberg &c. &c.
# Adam Frantz Carl des Heyl. R. R. Fürſt zu Schwartzenberg.

Unſeren Gunſt und freundl. Grus zuvor, Edle, Veſte, Fürſichtige, Fromme und Wohlweiſe beſonders liebe Nachbaren und gute Freunde. Aus dem Copeilichen Anſchlus werden die Herren des mehreren erſehen was Jhro R. K. Maj. in annoch obſchwebender Homagial-Streitigkeit zwiſchen denſelben und der Gemeind Wilchingen, an uns, als in Cauſa allergnädigſt ernante Commiſſarios ſub dato Laxenburg 29. Maj. anni currentis widerum allergnädigſt gelangen laſſen. Nun hätten wir uns zwar gäntzlich verſehen dieſelbe in Conformität Deroſelben letzteren Schreiben de dato 16. Decembr. 1724. dieſer ſo beſchwerl. und weit ausſehenden Sache von ſelbſten die einſte Endſchafft geben und die Commun zu gedachten W. nach der ſonſt gewöhnl. Eyds-Formul auch mit Beybehaltung der Clauſul keinen fremden Schutz zu ſuchen (als welch J. K. M. ſelbſt nicht zu alteriren verlangen) den Huldi-

gungs-Eyd abſchweeren laſſen wurden. Alldieweilen aber ſolches bis Dato nicht geſchehen, die Schuld auch nach der von mehrgedachter Gemeind Deputierten, unterm 9. Juni vorigen Jahrs am Kayſerl. Hoff übergebene Supplique denen Herren oder vorneimlich dem dermahligen Land-Vogt beygemeſſen werden wil, und hingegen allerhöchſt ermelt J.K.M. die neue und ſie Wilchinger von der Reichs Bottmäßigkeit gantz eximirende Eyds-Formul nemlich, daß ſie nicht nur keinen fremden Schutz und Schirm ſondern auch NB. nirgend anderswo Recht ſuchen und nehmen ſollen noch wollen, welcher ſouveraine Huldigungs-Eyd in der alten und erſt vor 10. Jahren beſchwornen ſo genandten Oeffnung ſich nicht befinde, mithin eine vollkommene Neuerung ſeye, vermög obgedacht Dero allergnädigſten Reſcripti ad Commiſſionem, durchaus nicht zulaſſen wollen, von der Certitudine Facti aber man bis dahero keine ſichere Nachricht gehabt; als haben wir von obhabender K. Commiſſion wegen, ſolche hiermit von denen Herrn zuverläßig einziehen wollen, ob dann denen W. noviſſime oballegirte Eydts-Formul oder aber die alte gewohnl. bishero zugemuthet worden, und woran es alſo haffte, daß

daß das Homagium quæſtionis bishero nicht bewerckſtelliget, mithin die Beruhigung des Orts nit wieder hergeſtellt worden ſeye, um ſodann J. K. M. ein ſicheres und richtiges Factum allerunterthänigſt referiren zu können, verbleiben damit denen Herren zu Erweiſung Freund-nachbarl. Willen ſtets wohl beygethan. Datum den 27. Aug. 1725.

## Num. IV. Extract aus der Wilchinger Oefnung daruf ſie vor, und nach erkaufften Sultziſchen hohen Gerechtſamen einem Land-Vogd im Cletgau geſchworen haben.

Dieſemnach werdet Ihr auch ſchwören, ob einer aus dieſem Flecken, Zwing und Bahn käme, und allda etwas Zweyung, Stoß, oder Irrung, oder was Sachen es wäre, gegen obgemelten Land-Vogd gemeiner Stadt Schaphauſen, auch allen denen, ſo Ihnen zu verſprechen ſtehen, um die ergangene und verloffene Sachen nichts fürzunehmen, dann mit Recht da euer jeder geſeſſen iſt, und ſonſt kein ander Recht brauchen, noch ſuchen, in keine Wege, es werde dann von einem Land-Vogd anderswohin gewieſen, bey

dieſem Ayd, welchen Ihr hier ſchwören werdet. Ferner werdet Ihr auch ſchwören, daß ihr keinen Schutz noch Schirm anderswo an Euch nehmen wollet, alldieweil euer jeder hier geſeſſen, und wohnhafftig iſt, und was euer jedem kund und wiſſend wäre, das in dieſe Land-Vogtei gehöret, daß ihr das wollet rügen, und angeben ein jeder bey ſeinem Ayd, &c.

## Num. V. Antwort-Schreiben des löbl. Canton Schaphauſen an vorbenante beyde Hochfürſtl. Hochfürſtl. Häuſer.

### Durchleuchtigſte &c. &c.

Was geſtalten Ew. Hochfürſtl. Durchl. wegen uns von einigen widerſpenſtigen Underthanen zu W. annoch verweigerenden Huldigung zu vernemen Verlangen tragen, ob nit bey 10. Jahren hero die in der W. Oefnung enthaltene Eydts-Formul abgeänderet und allenfals andurch veranlaſſet worden wäre, daß gedachte Underthanen ſolche abzuſchweeren ſich bis Dato widerſetzet, das haben aus Ew. Hochfürſtlichen Durchl. under dem 27ten Aug. an uns abgegebener

ner Schreiben wir des mehreren erſehen. Nun können Ew. Hochfürſtl. Durchl. zu devotiſtem Reſpect Wir mit Beſtand der Warheit, wie vordem allſchon mehrmahlen ſo münd- als ſchrifftlich, ſonderheitlich ſub 15. Decembr. vorigen Jahrs beſchehen, nochmahlen aufrichtig verſichern, daß dieſen renitirenden Underthanen keine neue Formul jemahlen zugemuthet, ſondern ihnen je und allezeit der alt gewohnte Huldigungs-Eyd ohne die mindeſte Abenderung ſo abgefordert worden, wie ſolchen Sie und ihre VorEltern von undencklichen Zeiten her und alſo lang vor Erkauffung der Landgräfl. Sultziſ. in dieſem Diſtrictu gehabter Gerechtſahmen jederzeit beſchwohren, den ſie auch nit nur bey alljährlich gewohnter Huldigungs-Zeit, ſondern auch bey jedesmahliger Præſentation unſerer Land-Vögten allemahl abgelegt und denn auch andere unſere Underthanen dieſer Enden auf gleiche Weiß abzuſtatten ſchuldig und verbunden ſind. Wie nun hieraus klar erhellet, daß nicht die ohnbegründt vorgebende Abenderung der Huldigungs-Formul, ſondern die übermachte Bosheit und fortwehrende Hartneckigkeit dieſer unſer Unterthanen, der von ihnen bishero verweigerten Huldigung, die eintzige

und

und wahre Urſach iſt; alſo kan uns auch nit anderſt denn ſehr bedaurlich vorkommen, daß nachdem ſie allerhöchſten und hoher Orten bald dieſe bald jene unerfindliche Dinge gantz frecher Dingen angebracht, gleichwohl dennoch unſern ſo begründeten Vorſtellungen nit mehrer Glauben beigemeſſen, hingegen dieſen unſern ſo wiederſpenſtigen Unterthanen zu verſchiedenen Orten annoch Gehör gegeben werden wil, wordurch ſie in ihrer Eigenſinnigkeit mehreres verhartet werden. Da nun wir nit anderſt als blos aus Oberkeitlicher Langmuht, und ferners Unglück in Anſehung ihrer unſchuldigen Kindern zu verhüten, ihnen bishero um ſich etwan auch einmahl begreiffen zu können, Zeit und Platz gegeben, und aber mit Bedauren wahrnehmen müſſen, daß auch dardurch ſie nur immer hartneckiger und boshafftiger gemachet werden; alſo werden wir endlich, allenfals ſie nicht, gleich von einigen andern bishero geſchehen, von ihrer Renitentz abſtehen und zu Ablegung der uhralt gewohnten Huldigung ſich mit bequemen werden, obtragenden Amts halben gemüßiget, ſelbige durch andere und ernſthafftere Mittel zu Abſtattung der unſchuldigen und Jure proprio & allodiali uns zuſtän-

ſtändigen Huldigung mit Nachdruck zu vermögen. Welches alles Ew. Hochfürſtl. Durchl. wir zu verlangter Nachricht geziemenden Reſpects vorſtellen und anbey Dieſelbe aufs angelegentlichſte erſuchen wollen, Sie ihres hohen Orts die Sach dahin einleiten zu laſſen gnädigſt geruhen wolten, damit dieſen unſern boshafften Underthanen kein anderwertiges Gehör weiter gegeben, ſondern ſelbige lediglich an uns als ihre natürliche Obrigkeit angewieſen werden. Die von Ew. Hochfürſtl. Durchl. gegen uns und unſern Stand jederzeit beſcheinte hochſchetzbahre Propenſion läſſet uns auch dermahlen an Hochfürſtl. Hochgenehmen Willfahr kein Zweiffel tragen, welche gegen Ew. Hochfürſtl. Durchl. wir bey jeden Zutragenheiten möglichſt unſern Kräfften zu demeriren trachten, und nechſt hertzlicher Anwünſchung allſelbſt auswehlendem Hochfürſtl. Hohen Wohlſeyns mit allgeziemender Devotion für beſtändig verharren. Et reliqua.

## Num. VI. Jhro Römiſch-Kayſerl. und Königl. Cathol. Majeſtet allergnädigſtes Reſcript, an des Herrn Hertzog von Würtenberg und Fürſten von Schwartzenberg Hochfürſtl. Hochfürſtl. Durchl. Durchl. de 29. Jan. 1726.

# CAROLUS VI.

Ew. Lbd. Lbd. hierbey verwarte Abſchrifft zeiget in mehreren, wohin Sich Burgemeiſter und Raht zu Schaphauſen auf Unſer am 20ten Julii vorigen Jahrs an Dieſelbe in der zwiſchen ihnen, und der Gemeind zu Wilchingen obwaltenden Streit-Sach gnädigſt erlaſſenes Keyſerliches Schreiben in Antwort vernemen laſſen. Und wie Wir nun Unſere hierauf nach Ausweiß der weiteren Anlaag anheut abgefaßte Keyſerl. Erkantnis ermeltem Magiſtrat zu Schaphauſen mittelſt Unſers Keyſerl. Reſcripti kund zu machen der Nothdurfft zu ſeyn ermeſſen; Alſo haben Wir auch Ew Lbd. Lbd. von ein ſo anderem die Communication hierdurch zu dem Ende thun wollen, daß ſie ſich darnach richten, ſoforth die Wilchinger Gemeinde zu Abſtattung des gewöhnlichen Homagii anweiſen und anhalten, auch an Uns, wie ſolches geſchehen, geziemend berichten mögen. Wien den 29. Jan. 1726.

An Ihro Durchl. Hertzog von Würtenberg und Fürſt von Schwartzenberg.

Num.

# Num. VII. Jhro Römiſch-Kayſerl. und Königl. Cathol. Majeſtet allergnädigſtes Schreiben an den Canton Schaphauſen de 29. Jan. 1726.

## CAROLVS VI.

Wir haben Uns dem Jnhalt Ewrer auf Unſer am 20. Julii vorigen Jahrs an Euch nach Anleitung derer bey Uns wieder Euch von der Wilchinger Gemeinde angebrachten Beſchwerden erlaſſenes gnädigſtes Schreiben unterm 5. Decembris des nemlichen, und Præſentato den 10. Jenner lauffenden Jahrs übergebenen Antwort mit mehrerem gebührend vortragen laſſen, und wie nun nach reiffer der Sachen und darbey geführten Umſtänden Erwegung Unſer in Abſchrifft hierbey verwarte Keyſerl. Erkantnus anheut darauf iſt abgefaſſet worden: Alſo verſehen Wir Uns auch zu Euch gnädigſt, Jhr werdet, Ew. eigen Erklärung nach, von denen Wilchinger Unterthanen keine andere als die alt gewöhnliche Huldigung abforderen, wie auch nach derſelben Ablegung, ſie in ihren habenden Gravaminibus anhören, und ihn darinnen die behörige und ſchleu-

 nige

nige Juſtitz wiederfahren, nicht weniger den anhero genommenen Recurs nicht entgelten laſſen. Verbleiben daneben Euch mit Kayſerlichen Gnaden gewogen. Geben Wien den 29. Januar. 1726.

CARL

V. SCHÖNBORN.

*Ad Mandatum S. Cæſ. Maj. proprium.*

F. v. Heffener.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058181687-19

Marburg, Diss., 1725-30

7

ULB Halle 3
004 165 535

Sb.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058181687-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058181687-19

7/25.
1726,4b

DISSERTATIO IVRIDICA,

DE

# IVRE IMPERANTIVM
IN
# RVSTICOS REFRACTARIOS,
## HOMAGIVM IN PRIMIS DENEGANTES,

QVAM

IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBVRGENSI,

DN. IOA

WA

ACADEMIAE PR

REGIMINIS

AD DIEM

PVBLICAE ERV

GEORG. ST

SC

PRIMVM M

NVNC VERO, VT

ET QVIA EXEMPL

REC. LITTE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058181687-19